

rationem exposcendam sibi videri. Reliqui præconsultores omni culpa carere Surianum censentes disceptabant: *eiusmodi suspicionem in eum virum cadere non posse, qui singulari prudentia, ac virtute in obeundis legationibus, Republicaque administranda vitam innocenter exegisset; ex prudentia ac solertia profecta, non socordiae atque minus recto in Rempublicam animo tribui oportere: magnis ac difficillimis de rebus Romæ actum; multa illius virtute, ac ingenii dexteritate præ omnium spem confecta: cur laboris, ac studii iniquum præmium esset laturus?* Itaque alterum legatum Romam mittendum censere, qui una cum Suriano fœderis negotium urgeret, eique in exacta jam legatione succederet. Discrepantibus ea die in Senatu sententiis, cum nihil decerni potuisset, postridie, Donati rejecta opinione, frequentes Patres in præconsultorum sententiam ivere. Joannes Superantius collega Suriano est designatus.

Joannes
Superantius
orator col-
lega Suria-
no designa-
tur.

Kalen. septembris cum Senatus ad Leonardum Donatum legatum literis tabellarius in Hispaniam pervenit; quibus literis acceptis, ac perpensis, cum Rege, ac præconsultoribus diligenter, atque accurate egit. Multis utrinque varie agitis, id, quod in primis Patribus cordi erat, ut anathematis caput amoveretur, haud difficulter persuasit. Rex, de accepta a Pontifice fœderis formula consilio habito, quarto kal. octobris per Antonium Perezium a secretis Donato significat; cursorem post tres horas Romam per dispositos equos missurum, qui ipsius mandata, ac decreta de sanciendo fœdere ad suos ministros perferat: quæ ille Reipublicæ nomine egerit, singulari studio, ac diligentia examinata esse: quæ secum ipse statuisset, ut pro Regum, ac Principum more illibata ad suos pervenirent, non esse cur illi significaret: id tantum in universum scire ipsum velle, omni fere ex parte Senatui ita satisfactum, ut quæcumque ipse petierat, obtinuisse videretur; si quid super sit, Romæ a suis perficiendum curasse. Eodem ferme tempore, quo ex Hispaniis Philippi literæ supervenere, Superantius quoque, legationis munus una cum Suriano obiturus, Romam accesserat. Denuo negotium agitari cœptum; ac licet Regis ex Hispania perlata sententia, ut certi quidpiam in commune bonum decerneretur, sperandum

Philippus
Rex mada-
ta de fœde-
re ad suos
Romam
mittit.